

Sunt autem causæ: 1. Peccatum originis, quo etiam infantes pollutos & fœdatos esse Sacra Scriptura confirmat, sicut dicitur Gen. 6. & 8. *Figmentum, &c.* & Psal. 51. *Ecce in iniquitatibus, &c.* Gen. 5. *Genuit ad similitudinem suam*, scilicet in peccato. Johan. 3. *Quod ex carne, caro est.* Matth. 7. *Mala arbor malos fructus profert.* Hinc pœnæ & mors temporalis, juxta Rom. 6. *Stipend. pec. mors,* Eph. 2. *Eramus filii iræ, &c.* Ideoq; qui dicuntur innocentes, coram DEO innocentes nō sunt, sed iræ DEI subjecti, sicut dicitur, Exo. 34. *Coram quo innocens, non est innocens.* Etsi verò in Baptismo regeneratis peccata remissa sunt: tamē morbis & morti sunt obnoxii. Quia peccatum originale in baptizatis tollitur, non ut nō sit, sed ut non imputetur. Manet etiam in sanctis, radix & fomes peccatorum. Sicut iidem de iis passim conqueruntur, ut David Psal. 32. *De hoc* Et Paulus Rom. 7. *Video aliam, &c.* Id. v. 23. circo & pœna adhuc reliqua manet.

Deinde non rarò parentes ipsi in causa sunt, cur DEUS ipsorum infantes ipsis auferat: quando ipsi suis peccatis DEUM offendunt. *Est enim Deus fortis zelotes*, qui, &c. Exo. 20. Sicut Germani dicunt: *Plagam sacco inferri, quæ ipsi jumento, quod sacco gestat, debeatur.* DEUS corripit infantes, ut parentes, sui, & peccatorum suorum admo-

Causæ:  
Peccatum.

Nec sunt  
innocētes.

In Baptismo mate-  
ria manet.

Peccata etiā in Sanctis.

Sæpe luit  
soboles q̄  
commisē-  
re paren-  
tes.